

presentibus et futuris, quod Tidericus dictus de Helmstede civis Magdeburgensis ob amorem et devotionem, quam ad nostram habuit ecclesiam, cupiens in presenti sue ac filii ipsius Heinrici nostre ecclesie monachi utilitati atque commodo providere et post hanc vitam sue et dicti Hinrici anime saluti et remedio salubriter intendens eiusdem Henrici instinctu provocatus et amore donavit ecclesie nostre XXV marcas ad emendum et comparandum bona, quorum fructus ad tempora vite sue dicto Henrico pro usu suo ac necessariis deservirent, eo vero mortuo ecclesie nostre perpetuo remanerent. Similiter bone memorie domina Yda vidua quondam Iohannis dicti de Scandesleve civis Magdeburgensis eodem voto ac desiderio devote provocata similiter instinctu et amore sui filii Heidenrici dicti de Scandesleve nostre ecclesie monachi promota et inducta intendens nichilominus de predicti filii sui commodo et profectu sue etiam ac eiusdem filii sui anime utilitati consolationi et saluti contulit et donavit ecclesie nostre XXV marcas ad emptionem bonorum, quorum fructus simili modo eidem ad tempora ipsius vite pro usu suo ac necessariis deservirent, post mortem vero suam ecclesie nostre perpetuo remanerent. Nos igitur predicti Tiderici ac devote matrone supradicte humili devotione considerata et pro eorum desiderio provocati et precibus inclinati prefatis Heidenrico et Henrico confratribus ecclesie nostre cum communi totius nostri capituli voluntate et consensu tradidimus et donamus bona nostra in Prestere, que quondam fuerunt Iohannis dicti de Lobstede tempore vite ipsorum de nostra nunc Arnoldi abbatis et deinceps quicumque pro tempore fuerit abbas permissione et licentia cum omni iure videlicet agris pratis pascuis sive areis seu quibuslibet attinentiis pro usu ipsorum et necessariis quiete et pacifice nomine ecclesie possidenda, unus tamen ex ipsis curiam predictam gubernabit et agros colet et ad omnia que fuerint circa predicta bona facienda respectum habebit et fructus sive proventus solus percipiet et dabit alteri ex predictis singulis annis in festo beati Martini duos choros tritici qualibet occasione vel impedimento cessante, non obstante diluvio incendio et rapinis vel qualecumque damnum incurrerit, duos choros tritici, quos eidem ad nostram ecclesiam sive in civitate Magdeburgensi deduci, ubi ei placuerit, procurabit. Si vero aliquem ex predictis qui predictam curiam vel bona gubernaverit mori contigerit, alter qui superstes fuerit, si se intromittere de administratione curie voluerit et bonorum, in ipsius erit arbitrio et potestate, si vero noluerit, alteri cui commissa fuerit curia tali condicione acceptabit, quod non recipiet nec usurpabit sibi equos vel pecora vel aliud quicquam de mobilibus vel suppellectilibus vel quibuslibet rebus, que in predicta curia invenerit, sed ante omnia de pretio talium rerum debita si qua contracta fuerint ex parte eius qui obierit persolventur, reliquum ad commune fratrum usum, prout ipsis tunc placuerit, decernimus deputandum. Insuper recognoscimus de communi consensu totius nostri capituli liberam eis tribuisse facultatem ut, si tempore procedente de consensu utriusque ipsis placuerit, bona sic pre-